am 29. und 30. August 1850

zu veranstaltenden

öffentlichen Prüfung

der Schüler

des Königlichen Gymnasiums und der Gymnasial-Vorbereitungs-Klasse

zu

Saarbrücken

so wie

zu dem darauf folgenden

Redeact

ladet

alle Freunde des Schulwesens

ergebenst ein

der Director

Dr. Friedrich Ottemann.

Inhalt:

1) Adnotationes ad Aeschyli Persas vom Gymnasial-Lehrer Schmitz.
2) Schulnachrichten vom Director.

Saarbrücken, gedruckt bei Anton Hofer. 1850.

50

Qui Aeschyli tragœdias cognitas habent, facile consentient, etsi egregiam curam atque diligentiam emendandis illis et interpretandis adhibuerunt viri docti, multos tamen locos exstare, quorum sensus aut adhuc obscurus aut ab interpretibus aliis aliter expositus est. Inveniuntur quoque loci, in quibus emendandis a codicum auctoritate interpretes nimis recessisse videantur. Quos denuo examinare et diligentius perscrutari non irritus labor mihi videtur nec sine aliquo merito. Itaque invitatus, ut hos annales more usitato procemio instruerem, cujus de ipsis litterarum studiis petita esset materia, Persarum tragœdiæ finem, qui magnis laborare videtur difficultatibus, mihi sumsi emendandum et explicandum. Qua in re valde doleo, quod mihi in urbe omnibus fere litterarum subsidiis nuda potestas non data est recentiorum observationes in litter. disputationibus et annalibus hic illic expositas cognoscendi et adhibendi. Suscepi autem hanc operam non persuasus, me ubique vera et recta invenire aut aliorum observationibus meliora proferre posse, sed ut juventuti aliquantulum prodessem et eam ad studium hujus insignis pœtæ impellerem.

Prinsquam autem rem aggredior, paucis verbis argumentum fabulæ Persarum exponam. Fabula Persarum Susis ante regias ædes agitur. Personæ dramatis præter chorum, qui senibus nobilissimis terræ constat, quatuor sunt: Atossa, Darii vidua et mater Xerxis, Nuntius, Darius, Xerxes. Senes, quibus Xerxes ingenti exercitu terra marique Græciæ bellum illaturus res publicas et privatas domi mandaverat, postquam indicarunt, qui sint et quid rerum gerant, populorum nomina, qui regem in bellum secuti erant, singulosque duces recensent. Neque occultant metum, ne maximo Persarum exercitui adversa contingat fortuna. Consulentibus itaque, quomodo cognoscant, quid rerum gerat Xerxes, Atossa, mater ejus, somnio regi infausto perterrita, supervenit. Cui chorus animum erigere, diis supplicare et Darium, cujus speciem noctu vidisset, sibi et filio precibus propitium reddere suadet. Dum hac ratione reginæ metum sedare studet, nuntius affert, totum Persarum exercitum esse deletum. Chorus

lugubri cantu interfectum præter spem exercitum celebrat. Atossæ autem Xerxis sortem anxie quærenti nuntius totius belli exitum accuratissime describit. Dum regina superos precibus, inferos donis placari cupiens discedit, chorus solus relictus nondum favet linguæ, sed acerbissime temeritatem Xerxis perstringit. Revertitur regina, rebus necessariis paratis, ex ædibus. Senes precantur deos ut Darium orco emittant et Darium ipsum ad auxilium ferendum invitant. Redit tandem Darii umbra, a choro vocata, a regina optata, et in tumulo stans colloquitur cum choro et Atossa, uberius docens, quæ adhuc immineant calamitates et qua ratione eas in posterum evitent. Senibus præcipit, ut prudentibus admonitionibus Xerxem ad rationem et cogitationem reducant, Atossæ reginæ, ut filio laceratis vestibus redituro decorum offerat ornatum et blandis verbis eum consoletur. His enarratis umbra disparet. Chorus pariter atque Atossa paucis verbis produnt, quomodo ejus oratio animos affecerit. Jam chorus se confert ad celebranda Darii beneficia et merita de Persarum imperio, sed ita, ut semper præsentis miseriæ reminiscatur. Incipit v. 838 *) verbis:

Ὦ πόποι, ἦ μεγάλας ἀγαθᾶς τε πολισσονόμου βιοτᾶς ἐπεκύρσαμεν. In quibus πολισσονόμος βιοτά est vita, quæ in urbe degitur eamque tuetur et conservat, Droys. „ein städtebeherrschendes Leben". Eodem sensu Agam. v. 88. θεοὶ ἀστυνόμοι dicuntur dii, qui in urbe habitant eamque tutantur, quos Aeschylus in Septem v. 271. πολισσούχους θεούς, πεδιονόμοις oppositos, nominavit. Agam. v. 142. θῆρες ἀγρονόμοι sunt bestiæ, quæ in agris pascuntur et quasi tenent agros. ἀστυνόμοι ὀργαί in Sophoclis Antig. v. 355. studium indicant civitatis regendæ i. e. deinde facultatem civitatis administrandæ.

v. 840—42. Εὖθ' ὁ γηραιὸς Πανταρκής, ἀκάκης, ἄμαχος βασιλεὺς ἰσόθεος—χώρας. Blomfieldius pro γηραιός γεραιός præbet, quæ forma minime præferenda erat, quum et creticus versus dactylici non tam dissimilis sit, et in antistropha omnes codices πάντ' ἐπεύθυνον neque εὔθυνον præbeant, quod vir doct. in textum recepit. Γηραιός est venerabundus quum ob aetatem tum ob mores. cf. Herod. 7 c. 4. Admodum fluctuat lectio in voce πανταρκής. Libri præbent παντάρχης, παντάρχας et fortasse scribendi vitio παντάχης. Blomfieldius: legendum suspicor παντάρχης. Quo cognomine vix nominari poterat Darius. Sophocles in Oedip. Colon. v. 1085. Jovem hoc epitheto ornavit. Πανταρκής est omnibus sufficiens, omnes juvans. Schol. πᾶσι βοηθῶν. Ἀκάκας nominatur, qui alienus est a nocendo. Blomfieldius: „vox contra analogiam peccat. Dicebant ἄκακος; sed hoc vocabulum recentioris ævi fuit: quare corrigendum puto ἀκάμας, invictus." Duplicem adjectivorum terminationem in ος et ας recentioris tantum ævi fuisse, Lobeck. ad Phrynich. p. 184 refutavit. Jam quæritur, quo sensu ἄμαχος Darius nominetur, num insuperabilis, qui vinci non potest, an non bellicosus. Hoc mihi præferendum videtur, quum ἀμαχία quædam, sed gloriosa, in Dario laudetur, ut ἄμαχος idem fere sit ac εἰρηνικός, non belli sed pacis studiosus. Jam supra monui

*) cf. edit. Wellaueri.

Darium a choro laudari ut Xerxis clades eo magis eluceat, hac fere ratione: dum ille venerabilis suis videbatur, omnes juvans, nulla mala inferens, pacis studiosus vel deus (ἰσόθεος) regnavit, ille juvenili temeritate ductus nullam nostræ vitæ curam gessit, innumerabilia mala intulit, belli studiosus regnum perdidit.

v. 843. Πρῶτα μὲν εὐδοκίμου στρατιᾶς ἀπεφαινόμεθ᾽, ἠδὲ νομίσματα πύργινα πάντ᾽ ἐπεύθυνον sqq. Verbis Πρῶτα μὲν respondet simplex δὲ pro ἔπειτα δέ. Non inusitatum est in altero membro ἔπειτα vel δέ omittere. cf. Eurip. Med. 548 et 720. post πρῶτα μέν legitur τέ Med. v. 125.

Passovius, quem Langeus et Pinzgerus secuti sunt, πρῶτα μέν ad νῦν δὲ sub finem carminis chori v. 871 retulit; tum scribendum erat, ut recte monet Wellauerus, πρότερον μέν aut πρὸ τοῦ μέν. Illud νῦν δέ toti de felici vita Persarum Dario vivo narrationi opponitur. Disceptarunt interpretes de sensu verborum εὐδοκίμου στρατιᾶς ἀπεφαινόμεθ᾽, ἠδὲ νομίσματα πύργινα πάντ᾽ ἐπεύθυνον. Schützius recte monuit ἀποφαίνεσθαι passivam formam esse, ἀποφαινόμεθα igitur est monstrabamur, speciosi, clari eramus εὐδοκίμου στρατιᾶς ob fortem exercitum. Qui genitivus offendere non potest, quum sæpius legatur αἰνεῖσθαί τινος laudari propter alqd., οἰκτείρεσθαί τινος, ὀλβίζεσθαί τινος et alia. Idem genitivus cum interjectionibus conjungitur. νομίσματα, Hermanni conjectura, pro νόμιμα, respicit ad domestica instituta. Quæritur autem, num πύργινα cum νομίσματα an cum πάντα conjungendum sit. Bothei interpretatio „πύργινα ν. leges turritæ, turribus similes altitudine et firmitate“ minime placet, neque Schuetzius mihi persuasit, πύργινα eodem sensu ac πολιτικά positum esse. Πύργινος a πύργος derivatur, proprie igitur est ad turrim pertinens. πύργος autem muri pars de toto muro aut urbe dici potest. Scholiastem secutus, qui τὰ πύργινα πάντα explicavit per τὰς πόλεις πάσας, πύργινα oppida munita esse contendo. Conjungenda sunt πάντα πύργινα ἐπ. νομ. i. e. omnia oppida munita regebant leges nostræ, quod idem est, atque oppidis munitis, quæ bello subjecimus, nostras leges imposuimus. Wellaueri interpretatio: „leges regebant urbium expugnationes i. e. in urbibus expugnatis legitime versati sumus, non templa deorum sepulcraque evertimus, ut Xerxis milites“ mihi artificiosior quam verior esse videtur.

v. 847. Quum primum hujus versus vocabulum desit in omnibus libris, lacunæ signum posuerunt multi editores. Brunckius et Schuetzius ἡμᾶς, quod metri causa in ἡμέας mutarunt, receperunt, sed non recte, ut videtur. Desideratur quidem objectum verbi ἆγον sed ex antecedentibus facile suppleri potest. Rediisse dicuntur milites ἄπονοι, non magnos labores perpessi, ἀπαθεῖς sine calamitate, εὖ πράσσοντες felices. Quid, si, quod nescio quis proposuit, ante εὖ πράσσοντας εὔφρονας, lætos, excidit? Certe non alienum est hoc vocabulum a nostro loco et vocum et sonorum congruentiam præbet. L. et P.: „Fortasse excidit πατρίδος vel Περσίδος, vel simile quid.“

A versu 948 enumerantur urbes, quas Darius sibi subjecit. Recensentur autem illæ imprimis, quas Græci incolebant. Gloriæ regi tribuitur, quod, quamvis ipse rebus

domesticis functus sit et bella ducibus gerenda reliquerit, civitatis vires tamen auctæ sint. Xerxes contra ne conjunctus quidem cum ducibus fortissimis imperium tueri potuit. Blomfieldius existimat hoc loco in animo fuisse poetæ notum illud oraculum Crœso datum. Halyn enim fluvium, qui cuncta fere superiora Asiæ a mari, quod Cypro objectum est, ad Euxinum usque Pontum dirimit, (cf. Herod. 1 c. 72) commemorat noster.

Pro ὅσας, quod fere in omnibus libris legitur, Mediceus cod. præbet ὅσσας, quam formam lyricis poetis valde usitatam fuisse Blomfieldius satis ostendit.

v. 850. Οἷαι Στρυμονίου πελάγους Ἀχελωΐδες εἰσὶ πάροικοι Θρῃκίων ἐπαύλων. οἷαι pro οἷον, exempli gratia, per attractionem cum πόλεις congruit. Vocantur urbes a Dario subjectæ Ἀχελωΐδες, quod interpretes nonnulli ad „maritimas urbes" retulerunt, scholiasten secuti, qui explicavit: οἱ δίυγροι, ἀχελῷον γὰρ πᾶν ὕδωρ λέγουσιν. Nomen proprium Ἀχελῷος in significatum appellativum transisse ex antiquis scriptoribus satis constat, sed non minus constat de iis tantum adhiberi, quæ ad flumina pertinent. Cujus gravissimus auctor est Artemidorus II. 38. Ἀχελῷος δὲ τὸ αὐτὸ τοῖς ποταμοῖς καὶ παντὶ ποτιμῷ ὕδατι σημαίνει. Hesychius Ἀχελῷος, inquit, ποταμός Ἀρκαδίας καὶ πᾶν ὕδωρ οὕτως λέγεται. Quo loco quisque videt, verbo ὕδωρ ὕδωρ ποτάμειον indicari. Ἀχελωΐδες πόλεις itaque fluviales urbes sunt, quarum situs accuratius indicatur verbis Στρυμονίου πελάγους. Cum Wellauero consentio, hic sermonem esse de iis urbibus, quæ ad fluvium Strymonem adjacent, ubi in immensum dilatatus mare fere efficit. Quocum consentiunt verba πάροικοι Θρῃκίων ἐπαύλων Thracum sedibus vicinæ. ἔπαυλος proprie stabulum pecuarium indicat. Thraciæ autem et Scythiæ populi nomades erant, unde stationes eorum facile ἔπαυλοι vocari poterant.

v. 852. Λίμνας τ' ἔκτοθεν sc. πόλεις sunt urbes a mari Strymonio remotiores in continenti sitæ, quod scholiastes indicat verbis καὶ ἔξω τῆς θαλάσσης, ὅσαι εἰσὶ μεσήπειροι. Sunt autem urbes istæ κατὰ χέρσον ἐληλαμέναι περὶ πύργον pro περιεληλαμέναι πύργον i. e. περὶ ἃς πύργος ἐλήλαται (L. et P.) (schol. τοῖς τείχεσιν κυκλωμέναι) turri i. e. muris circumdatæ. κατὰ χέρσον est in terra, oppositum κατὰ θάλασσαν. Schützius vertit, „reductæ circa terrestrem turrim", ad castellum respiciens, quod interiores Thraciæ incolas a Chersoneso Thraciæ sejungebat cf. Plin. IV. c. II. Passovius contra librorum auctoritatem πύργον delevit et κατὰ χέρσον ἐληλαμέναι ad urbes continua quadam serie in regionibus a mari remotioribus sitas refert; quæ interpretatio valde placeret, si πύργον abesset a codicibus et haberemus, quo περὶ tunc referre possemus. Πόλεις enim continua serie exstructæ eodem jure ἐληλαμέναι dici possunt ac τάφροι ὄγμοι vel τείχη.

853 ἀΐειν τινὸς audire aliquem, dicto alicujus audientem esse, idem est ac ὑπήκοον εἶναί τινος.

v. 854. Ἕλλας τ' ἀμφὶ πόρον πλατὺν αὐχόμεναι, μυχία τε Προποντὶς καὶ στόμωμα Πόντου. Notum est Homerum et Herodotum de Hellesponto quasi de fluvio locutos esse ut apud eos epitheton πλατύς ad latitudinem tantum referri possit, cf.

Wood. Troad. Descript. p. 320. Aeschylum quoque in epithet. πλατὺς de latitudine cogitasse, jam ex voce πόρος patet, quæ, etsi mare quoque significare potest, tamen sæpissime de fluviis dicitur. cf. Sophocl. Ajac. v. 412 πόροι ἁλίρροθοι. Urbes Hellesponto adjacentes dicuntur αὐχόμεναι; in quo vocabulo magna lectionum varietas est, εὐχόμεναι, ἐρχόμεναι et ἐχόμεναι. Botheus εὐχόμεναι interpretatus est: gloriatæ, se Dario esse subjectas. Significat autem verbum εὔχεσθαι, nisi appositus sit infinitivus (aut accusativus), nunquam gloriari. Schuetzius, quem Passovius et alii secuti sunt, præbet αὐχόμεναι „superbientes circa latum Hellespontum;" quod sane exquisite et splendide dictum est pro positæ et certe Aeschylo non indignum. Verbum αὔχομαι nusquam alias invenitur, sed ab αὐχή superbia eadem ratione derivatur, ac εὔχομαι ab εὐχή. Cur Blomfieldius ad conjecturam ἀρχόμεναι fugerit, non intelligo. Προποντίς et στόμωμα Πόντου nominantur hoc loco pro urbibus adjacentibus. Jure μυχία vocatur Propontis ob multos recessus et sinus, unde nostra quoque ætate portus sinuosus prope Tergeste „Muggia" nominatur.

Pro στόμα Πόντου, quod in nonnullis libris legitur, Hermannus e codicibus quatuor metri causa στόμωμα, a veteribus scriptoribus non alienum, recepit. (v. Poll. lib. VII segm. 107). Est autem στόμωμα Π. Bosporus Thracius, per quem navigantes in Pontum pervenerunt, quare Euripides eum πόντου κλῇδα nominavit. Med. v. 212. Πόντιον στόμα Rhes. v. 436. et νιφοέντος ἀταρτηρὸν στόμα Πόντου Theocrit. 22. 28. ad Bosporum spectant. Thucydides quoque τὸ στόμα τοῦ πόντου de Bosporo usurpavit. lib. 4. 75. αὐτός τε—ἀφικνεῖται ἐς Χαλκηδόνα, τὴν ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ Πόντου Μεγαρέων ἀποικίαν.

V. 856 sqq. insulæ enumerantur, quæ a Græcis habitatæ Persis Dario rege subjectæ erant, νᾶσοί θ' αἱ κατὰ πρῶν' ἅλιον περίκλυστοι, τᾷδε γᾷ προσήμεναι sqq. πρῶν ἅλιος est scopulus in mare procurrens, promontorium. Interpretes alius aliud intellexerunt. Botheus intellexit promontorium Sigeum, cui Lagussæ insulæ et Tenedos exadversum sitæ sunt; Blomfieldius de Jonica peninsula Chio opposita cogitavit; Schuetzius aliquod promontorium Asiaticum e. c. Canas conjicit et Scholiast. κατὰ τὸν Ἑλλήσποντον adnotantem refutat. L. et P. non recte de Hellesponto cogitarunt. Duos quasi fines attulit poeta, quibus situs insularum accuratius definitur; quorum πρὼν ἅλιος est Chersonesus, infra quam peninsulam continua quadam serie sunt insulæ Lesbos, Chios, reliquæ, ἥδε γᾶ Asia minor, propter cujus littus hæ insulæ reperiuntur medio in mari περίκλυστοι, cf. v. 588 et Hymn. in Apoll. v. 181. αὐτὸς δ' αὖ Δήλοιο περικλύστης μέγ' ἀνάσσεις.

v. 861. Καὶ τὰς ἀγχιάλους ἐκράτυνε μεσάκτους, Λῆμνον, Ἰκάρου θ' ἕδος sqq. Pro μεσάκτους, quod in optimis libris invenitur, Blomfieldius proponit ἐπάκτους, Buttlerus suspicatur μεσάγκους, Heathius, quem plures editores secuti sunt, emendavit μεσακτίους, quo nomine insulas nominari putat, quia μέσον quodammodo obtinent inter Asiæ Europæque oras (ἀκτάς). Quam interpretationem L. et P. ad vocem μεσάκτους retulerunt. Mihi ἀγχίαλος et μέσακτος epitheta ornantia esse

videntur, quibus vox *νῆσος* circumscribitur tantum; sicut *v. ἀγχίαλος* nil aliud indicat, quam insulam (quantum maxime) mari vicinam, ita *μέσακτος v.* est terra undique littoribus circumdata. Cui sententiæ adsentitur scholiastes: *ἐπειδὴ τὰ κύκλῳ τῶν νήσων ἀκταί εἰσι, διὰ τοῦτο μεσάκτους τὰς νήσους καλεῖ.* Pro Ἰκάρου ϑ'ἕδος L. et P. scholiasten secuti ἕλος ut multo exquisitius et rectius non optimo jure receperunt.

v. 865. Ex Cypri insulæ urbibus nominantur Paphos, Soli et Salamis. Hæc non sine causa. Occasione enim data chori senes admonent auditores cladis Xerxis apud Salamina acceptæ, *τᾶς νῦν μητρόπολις τᾶνδ'* Αἰτία *στεναγμῶν;* quæ verba ita conjungenda sunt, *τᾶς μητρόπολις* i. e. insula Salamis *αἰτία ἐστὶ τῶν νῦν στεναγμῶν.* Notum est, Teucrum, quum sine fratre Ajace domum reversus a patre Telamone Salaminiæ insulæ rege ejiceretur, in Cypro urbem Salamina condidisse. *Στεναγμῶν* pro *στεναγμάτων*, quum tragicis poetis magis usitatum sit, Hermanno debemus. cf. Sophocl. Oed. R. v. 30 et v. 1284.

v. 866. Καὶ *τὰς εὐκτεάνους κατὰ κλῆρον* Ἰόνιον, *πολυάνδρους* Ἑλλάνων, *ἐκράτυνε σφετέραις φρεσίν.* In Epodo redit chorus ad Asiæ minoris urbes *κατὰ κλῆρον* Ἰόνιον. Κλῆρος proprie sortem significat, deinde terræ portionem sorte colonis assignatam, interdum, omissa illa circumscriptione, agrum ipsum. cf. Herod. 1. 76. Κροῖσος *δὲ φϑείρων τῶν Συρίων τοὺς κλήρους* (Syrorum agros). Hæ urbes cognominantur *εὐκτέανοι* et *πολύανδροι* Ἑλλάνων divites et Græcis viris frequentes. Qua in conjunctione vox Ἑλλάνων minime friget, ut Hermanno videtur. Recepit vir doctissimus pro Ἑλλάνων lectionem *ἐλαύνων* ex corruptela Ἑλάνων ortam et delevit *ἐκράτυνε*, quod omitti non potest, quum nimis durius sit ad *σφετέραις φρεσίν* verbum ex antecedentibus (v. 861) repetere. De opulentia urbium Jonicarum vide Herodot. l. I. c. 29 et 142 sqq.

v. 869. Ἀ*κάματον δὲ παρῆν σϑένος ἀνδρῶν τευχηστήρων, παμμίκτων τ' ἐπικούρων.* Milites armati apud Aeschylum nominantur aut *ἄνδρες τευχήστηρες* aut *τευχησταί* Sept. v. 629. aut *τευχεσφόροι* Choeph. v. 627. Aliam formam *τευχοφόρος* in Eurip. Rhes. v. 3 invenis. Ad *παμμίκτων τ' ἐπικούρων* cf. Herod. lib. 7. c. 59, ubi exercitus Xerxis e multis populis compositus uberius describitur.

v. 871. Νῦν *δ' οὐκ ἀμφιβόλως ϑεότρεπτα τάδ' αὖ φέρομεν* sqq. Jam chorus a superioris fortunæ prædicatione ad luctum præsentis miseriæ descendit. Animum autem ejus clade accepta valde commotum esse jam inde intelligis, quod in Darii regis potentia describenda uberrimus est, Xerxis infortunii descriptionem paucis tantum verbis absolvit. Ad oppositionem augendam verbis *νῦν δὲ* additur *αὖ*, contra, e contraria parte. In voce *ϑεότρεπτα* magna librorum varietas exstat. Præbent *ϑεόπρεπτα, ϑεόπεπτα, ϑεόϑρεπτα* et *ϑεότρεπτα*, quæ omnia ex eodem fonte exiisse facile intelligitur. Est autem *ϑεότρεπτα* a deo conversa, immissa, ut verborum sensus sit: Nunc contra sine dubio illa a deo conversa (in nos) patimur. Optime placet lectio *πλαγαῖς τε ποντίαισιν*, quam Schuetzius et Blomfieldius præbent pro *πλαγαῖσι ποντίαισιν.* L. et P. quoque eam receperunt,

sed non recte πολέμοισι, commate postposito, cum antecedenti verbo conjunxerunt. Conjungenda sunt πολέμοισι δμαθέντες πλαγαῖς τε ποντίαισιν i. e. fracti bello (terra marique gesto) et tempestate marina. E qua tempestate a deo missa mentem ejus malevolam perbene conjicere poterant Persæ. Respicit autem, ut videtur, poeta ad tempestatem, qua magna pars navium Xerxis prope Artemisium deleta est. cf. Herodot. l. 7. 188 seqq.

v. 873—95. Sequitur systema anapæsticum, constans e dimetris, monometro interposito, et parœmiaco. Sub finem carminis, si interpretes sequimur, versus dochmiacus ἐπι γόνυ κέκλιται legitur. Mihi persuadere non possum, hoc systema anapæsticum uno versu dochmiaco finiri. Quomodo enim illam animi affectionem, quæ anapæsticis versibus inest, ista dubia et anxia in dochmiacis posita mentis motio ita sequi posset, ut tribus vocabulis per se nullam vim habentibus definiretur? Forma quoque hujus versus magis cum schemate anapæsti soluti, quam cum dochmio congruit.

v. 873. Xerxes luget sortem infelicissimam verbis:

Ἰώ. δύστηνος ἐγὼ στυγερᾶς μοίρας
τῆσδε κυρήσας ἀτεκμαρτοτάτης, sqq.

in quibus μοῖρα στυγερὰ ἀτεκμαρτοτάτη fatum odiosum et inexspectatum est. Ἀτέκμαρτος μοῖρα est Schuetzio auctore infortunium adeo magnum, ut, quale quantumque sit, exputare non possis. Germanis: ein unübersehliches Unglück. Botheus interpretatur: fatum, quod prorsus non intelligi neque explicari potest, germanice: Unbegreiflich. Utraque interpretatio aberravit a vero. Ἀτέκμαρτος, derivandum a τεκμαίρομαι conjicere e signo quodam, est, de quo certam coniecturam facere non potes et μοῖρα ἀτέκμαρτος, fatum, quod augurari non potes, quod præter spem, inexspectatum venit. Eodem spectant sequentia verba ὡς ὠμοφρόνως δαίμων ἐνέβη, quibus Xerxes se non exspectasse fatetur, fore, ut tam crudelem sese Persis dæmon ostenderet. Pro ἐμβαίνειν de infesto dæmone sæpius legitur ἐνάλλεσθαι, insilire. cf. Pers. v. 508 et Soph. Oed. R. v. 263.

v. 876. τί πάθω τλήμων; quid agam miser? Notandus est usus conjunctivi aoristi, ubi futuri indicativum exspectes. Uberius de hac consuetudine Græcæ linguæ Blomfieldius ad hunc locum disputavit. Conjunctivum aoristi et indicativum futuri conjunctos habes Sophocl. Trach. v. 973.

v. 877. Λέλυται γὰρ ἐμοὶ γυίων ῥώμη,
τήνδ' ἡλικίαν ἐσιδόντ' ἀστῶν.
Εἴθ' ὄφελε, Ζεῦ, κἀμὲ μετ' ἀνδρῶν
τῶν οἰχομένων
Θανάτου κατὰ μοῖρα καλύψαι.

De his verbis magnopere jam disputatum est et disputandum. Schuetzius recte pro ἐμῶν, quod in libris est, concinnius et elegantius ἐμοὶ scribendum esse contendit. Consentientem habet Blomfieldium (recte ut videtur Schuetzius ἐμοί). Receperunt autem

illi viri *ἐμοί*, ut videntur, ob sequens participium *ἐσιδόντ'*, quod pro *ἐσιδόντι* legi putarunt. Quum autem jota dativi rarius tantum elidatur, accusativum esse *ἐσιδόντ'* cum Passovio libenter consentio.*) At vir doctissimus post *ῥώμη* interpunxit et *ἐσιδόντ'* cum *κἀμὲ* in sequenti versu conjunxit, quod non debebat. Sæpius enim invenitur participium in alio casu positum ac substantivum aut pronomen, ad quod referendum est. cf. Chœph. v. 410. *πέπαλται δ' αὖτέ μοι φίλον κέαρ τόνδε κλύουσαν οἶκτον.* Sophocl. Electr. v. 479. *ὕπεστί μοι θράσος, ἀδυπνόων κλύουσαν κ. τ. λ.* Eurip. Electr. 1251. *οὐ γάρ ἐστι σοι πόλιν τήνδ' ἐμβατεύειν, μητέρα κτείναντα σήν.* Quibus locis accusativus participii cum præcedenti dativo est conjungendus. Puncto distinguendum est post *ἀστῶν*, quo totus sententiarum nexus multo concinnior fit: Miserrimus sum (*τί πάθω τλήμων;*), vix me sustineo, hoc senum adspectu percussus. Hoc ipso senum adspectu rex adducitur, ut mortem sibi exoptet verbis *εἴθ' ὄφελε, Ζεῦ, κ. τ. λ.* Utinam me quoque, sicut illos, mortis sors abstulerit! L. et P. Passovium secuti vertunt: Utinam me quoque hanc virorum ætatem adspicientem mortis sors obtexisset! Quæ verborum conjunctio admodum friget. Aspectu senum votum regis moveri et a verbis *εἴθ' ὄφελε* initium capere, jam scholiastes vidit: *ὑπομνησθεὶς δὲ ὁ Ξέρξης τῶν νέων ἀνδρῶν τῶν οἰχομένων ἐν Ἑλλάδι, φησὶ ταῦτα, εἴθε ὤφειλεν ὁ Ζεὺς κἀμὲ μετὰ τῶν φθαρέντων ἀνδρῶν καλύψαι τῇ μοίρᾳ τοῦ θανάτου.* Verba *εἴθ' ὄφελε, Ζεῦ,* quæ optima nituntur auctoritate et metro perbene satisfaciunt, Blomfield. mutavit in *ὤφελεν, ὦ Ζεῦ,* nulla justa causa commotus. *θανάτου μοῖρα* est fatum ipsa morte adductum, sicuti *τέλος θανάτοιο* finis vitæ morte effectus. *Ἄνδρες οἰχόμενοι* sunt viri defuncti *ἄνδρες ἐφθαρμένοι*, cf. v. 264 et 275; quo sensu v. *οἴχεσθαι* fere participium *πεσών* cf. Pers. v. 248 aut *θανών* apud Homerum et Sophoclem additur. cf. Ajax 999. et Philoct. 414. Jure omittitur participium hoc loco ob verba *μοῖρα θανάτου.*

Restat, ut afferam Hermanni V. D. sententiam de verbis Athenæi l. III. 86: *Αἰσχύλος δὲ ἐν Πέρσαις τίς ἀνήρει τοὺς νήσους νηριτοτρόφους εἴρηκεν* (l. *τινὰς νήσους*). Postquam Burnejus in Tentamine de metris Aeschyli p. 44 hæc verba in tragœdiæ textum, qui exstat, rursus inferre studuit et eo loco, quo ferri non possunt, v. 868 post *ἐκράτυνε* inseruit, Hermannus magis commodum locum post *τῶν οἰχομένων* invenisse contendit**). Non minus, inquit, commodum locum invenire licebat *νήσοις νηριτοτρόφοις* (ac *ὑποξύλῳ*); non lacunæ sane judicio, sed quod facile versiculus, qui ad sententiam non esset necessarius, quæ multarum omissionum causa fuit, negligi ab librariis potuit. Nam v. 918. Xerxes de clade accepta querens hæc dicit: *εἴθ' ὤφελε Ζεῦ κἀμὲ μετ' ἄνδρων κ. τ. λ.* Facile sentiat quis gravius hæc dici potuisse et significantius, si locus, in quo se cum aliis periisse optat, designaretur. Itaque nemo, opinor, vituperet sic scripta:

---

*) cf. Porson. ad Hecub. p. XXIV.

**) v. de Aeschyli Psychostasia p. 15 sqq.

Εἴθ' ὤφελε Ζεὺς κἀμὲ μετ' ἄνδρων
τῶν οἰχομένων
περί που νήσους νηριτοτρόφους
θανάτου κατὰ μοῖρα καλύψαι.

Hæc Hermannus. Unusquisque mecum consentiet, hæc conamina admodum lubrica et incerta esse, nec quidquam aliud iis effici, nisi, ut versus, qui in editionibus fere non invenitur, loco quodam textui inseri posse videatur. Versum autem *περί που νήσους νηριτοτρόφους* nostro loco inseri posse, Hermanno v. d. non concedo. Nam si abest, nil desideratur, si recepimus eum, plures existunt difficultates. In votis omnino nimia verborum copia admodum friget. Animus luctu aut dolore motus paucis tantum verbis luget votumque circumscribit. Xerxem fugatum et omnibus rebus orbatum simul cum interfectis viris interiisse optare, offendere non potest; illum autem in hac conditione locum infortunii designantem insulis *νηριτοτρόφοι* vocatis gaudere, valde displicet. Neque consentit hic versus cum antecedentibus, nec cum sequentibus. A. v. 345 nuntius diligentius exponit, quibus locis et qua ratione exercitus Persarum deletus sit. Sed nullas alias insulas, in quibus Persis adversa contigit fortuna, cognitas habet, quam Salaminem et Psyttaleam. In sequentibus quoque de his tantum insulis sermo est. cf. v. 914 et 926. Præterea chorus v. 928 sqq. e Xerxe anxie quærit, ubi fortissimi viri Persarum interierint; quod certe mirum esset, si rex paullo ante locum infortunii jam accuratius designasset. Facile quis in voce *νηριτοτρόφος* cogitare posset de insulis Salamine et Psyttalea; sed de hoc cognomine earum nihil apud veteres auctores legimus. In nostra tragœdia (v. 301.) insula Salamis *πελειοθρέμμων*, columbarum nutrix, vocatur, fortasse quia in cultum Veneris columbæ ibi nutriebantur (cf. Hymn. in Venerem); conchis autem marinis insulam claram fuisse nusquam traditur. Ubi terrarum sitæ fuerint insulæ *νηριτοτρόφοι*, quas præter Athenæum nullus veterum scriptorum cognitas habet, afferri non potest. Sed jam satis, ut opinor, de hac re disputatum est, ut quisque sentiat, nostro loco hunc versum non excidisse neque textui inseri posse. Mihi versus ille a nostra tragœdia alienus esse videtur. Neque dubito, quum Athenæus sæpe nomina confuderit, non Aeschyli tantum sed aliorum quoque, et multi *τῶν Περσῶν* auctores nominentur, Phrynichus, Epicharmus, Pherecrates, alii, quin hoc loco unius alteriusve nomen Aeschylo substituendum sit. *)

A versu 882 — 894 chorus et ipse res adversas deplorans Xerxi respondet in plures partes divisus, quod e dialecto sæpius mutata perbene intelligitur.

v. 884. Ad v. *κόσμου τ' ἀνδρῶν*, sicuti ad sequentia *χώρας ἄνθος* v. 819, quibus flos nobilitatis et juventutis i. e. nobilissimi et fortissimi juvenes et viri indicantur, cf. v. 433.

---

*) Rheinisches Museum für Philologie. II. Supplb. 1. Abtheilg. p. 43.

Περσῶν ὅσοιπερ ἦσαν ἀκμαῖοι φύσιν,
Ψυχήν τ' ἄριστοι κ' εὐγένειαν ἐκπρεπεῖς
— Τεθνᾶσιν αἰσχρῶς κ. τ. λ.

Eleganter hunc locum Droysenius vertit:

Weh, Weh uns, Herr, um das herrliche Heer,
Um der Persergewalt allherrlichen Ruhm,
Um die Blume des Volks,
Die der Dämon niedergemäht hat!

v. 886 sqq. Γᾶ δ' αἰάζει τὰν ἐγγαίαν
Ἥβαν Ξέρξᾳ κταμέναν, Ἅιδου
Σάκτορι Περσᾶν· ἀγδαβάται γὰρ
Πολλοὶ φῶτες — ἐξέφθινται.

In his versibus corrigendis et explicandis multi interpretes rem male gesserunt. Optimi libri præbent dativum Ξέρξᾳ, quem cum sequenti κταμέναν conjunctum pro ὑπὸ Ξέρξου positum esse Brunckius recte contendit. Male autem v. d. Περσᾶν a σάκτορι commate sejunxit et cum ἥβαν conjunxit. Verbis enim ἐγγαίαν ἥβαν certe satis indicatur Persarum juventus, ut accuratiori definitione non indigeant. Neque Περσᾶν tam multis verbis ab ἥβαν sejungi poterat. Cum voce σάκτορι est igitur duplex genitivus conjunctus Περσᾶν et Ἅιδου. Cujus consuetudinis exempla plura collegit Passovius in Melett. critt. p. 47. Blomfieldius non recte Περσᾶν cum sequentibus conjunxit. Jam sensus eruitur talis: terra luget patriam juventutem, interfectam a Xerxe, qui Orcum implet Persis. L. et P. persuasi, chorum regem præsentem tam vehementer accusare non potuisse, nisi in idem incurrisset vitium, quod de aliis timuisset (cf. v. 583), scholiasten secuti pro Ξέρξᾳ, deleto jota dativi, vocativum Ξέρξα revocarunt, et verba σάκτορι Περσᾶν ad Martem retulerunt, „cui omnes calamitates bello acceptæ debentur.“ Quæ interpretatio mihi artificiosior quam verior esse videtur. Nil certe est in illa interpretatione, quod offendat, immo optime quadrat in chori senes, qui a Dario v. 817 jam jussi erant, admonere Xerxem, ut tandem insolenti audacia deos lædere desinat. Additur quoque causa, cur Xerxem his acerbis verbis allocuti sint, 'Αγδαβάται γαρ κ. τ. λ. In versu 893 rex non sine acerbitate nominatur βασιλεὺς γαίας, rex terræ; exercitu enim deleto nil nisi terra incolis fere orbata regi mansit. Qua interpretandi ratione tantum abest chorus, ut Xerxem alloquatur honorifice, ut acerbissima potius compellatione eum excipiat.

V. 892 αἶ αἶ αἶ αἶ κεδνᾶς ἀλκᾶς Wellauerus choro tribuit, reliqui editores Xerxi. Satis ostendunt interjectiones aliam personam hunc versum recitare, quam priora; neque minus ex sequenti δὲ conjici licet, antecedentia verba alium esse locutum. Allocutio βασιλεῦ γαίας choro tribuenda est, præcedentia igitur Xerxi, cui in libris quoque hic versus tribuitur. κεδνὸς a κέδομαι, alia forma τοῦ κήδομαι, est cura dignum, eximium, præclarum. Blomfieldii conjectura κενεᾶς non opus est.

A versu 885 incipit longius carmen, quo clauditur fabula. Metra totius carminis admodum dubia sunt, quare emendando et corrigendo editores illa restituere conati sunt. De hac re singulis locis uberius dicam. Medicei codicis lectiones tueri studui quidem, sed non omnibus locis mihi licuit. Exempli gratia in primo versu hujus carminis ob antistrophæ versum ἴετ' αἰανῆ πάνδυρτον scribendum est ὅδ' ἐγὼν, οἰ οἰ, αἰακτὸς κ. τ. λ., ubi Mediceus codex οἰ ter præbet. In his vocabulis iteratis, quum facile unum alterumve vel demi vel addi potuerit in codicibus, quippe quæ ad sensum nil valeant, ex antistropha semper videndum est, quoties sint scribenda.

Xerxes se ipsum nominat αἰακτὸν lamentabilem, lugendum, μέλεον infelicem. Errant, qui conjunxerint μέλεος γέννᾳ, quum dativus ad sequens κακὸν referendum sit.

v. 898. In optimis libris legitur προσφθόγγου σοι νόστου, quam lectionem L. et P. ea interpretatione tueri conati sunt, ut προσφθόγγος νόστος sensu passivo significare dicerent „reditus, cui par est acclamari funestam vocem, etc.“, quo sensu v. πρόσφθογγος, si unquam, rarissime tantum legitur. Omiserunt præterea viri docti afferre, unde genitivi προσφθόγγου νόστου pendeant, utrum a verbo βοὰν, ad quod referendi sunt genitivi Μαριανδυνοῦ θρηνητῆρος, an alia ratione explicandi sint. Versu 149 chorus προσφθόγγοις μύθοις Atossam alloqui sibi proponit, salutatoriis i. e. honorificis verbis (Schol. B χαιρετιστικοῖς). Optime carmen, quod in reditum alicujus editur, πρόσφθογγον salutatorium vocari potest; quare cum omnibus reliquis interpretibus πρόσφθογγον νόστου præfero. Genitivus autem non a προσφθ. pendet sed a βοάν. Salutatorium tibi reditus clamorem i. e. salutatorium reditui tuo clamorem edam. V. κακοφάτιδα βοὰν, κακομέλετον' ἰάν, quæ interpretes plurimi non tentarunt, L. et P. vertunt: funestam vocem et mala meditantem clamorem (?). Κακομέλετον esse „mala meditans“, ut a μελετάω sit derivatum, mihi persuadere non possum; multo rectius ad μέλω referretur. Quo diligentius autem totum nexum sententiarum et singula verba mecum cogito, eo magis placet scholiastæ adnotatio κακὸν καὶ ἄμουσον μέλος ἔχουσαν ὡς θρηνώδη καὶ ἀπευκτήν, ut κακοφάτιδα βοὰν ad argumentum, κακομέλετον ἰάν autem ad vocem male sonantem referatur. Hujusmodi est carmen Μαριανδυνοῦ θρηνητῆρος.

Ex iis locis, quos Blomfieldius ad hanc vocem attulit, patet, Mariandynos, populum Asiam minorem prope Paphlagoniam incolentem, in agris suis Mariandynum (cf. schol.) aut Borimum (cf. Athen. l. XIV. p. 619), regis cujusdam filium, qui adolescens in venatione æstatis tempore interierit, cantasse. Ut Mariandyni desiderio Borimi seu Mariandyni juvenis lugebant, ita senes chori desiderio tot et tam fortium juvenum carmen Mariandyni se edituros esse promittunt. Multi Asiæ minoris populi lugubribus carminibus clari erant. Sicuti Mariandyni Borimum, Phryges in areis æstivis Lityersen cantabant, quem ad metendi certamen homines provocasse victosque flagellasse, sed victum denique ipsum et occisum esse fabula erat. His carminibus Maneros Aegyptiacus (Polluc. Onom. 4, 54), Manero Linus similis fuisse dicitur,

qui, quamvis a Græcis Homericis jam caneretur, barbaræ tamen originis esse credebatur et a Semiticarum linguarum gnaris idem, quod Hebræorum ailenu esse dicitur.*) Eandem indolem Καρικὰ μέλη, quæ ad tibias canebantur, præ se tulisse videntur. Mysorum quoque melodiam admodum flebilem fuisse jam ex v. 1011 κἀπιβόα τὸ Μύσιον apparet (cf. Aesch. Eumen. v. 189. καὶ μύζουσιν οἰκτισμὸν πολύν). Lugubre carminum genus barbaræ gentes orientem versus amasse videntur et hodie adhuc amant, dum cultiores homines alacriori utantur.

v. 907. Legitur in libris λαοπαθῆ τε σεβίζων, ἀλίτυπά τε βάρη. In strophico versu codices præbent κακοφάτιδα βοὰν, κακομέλετον ἰὰν, quibus priora non respondent. Editorum alius alia ratione rem expedire tentarunt, sed non omnes difficultates levarunt. Passovius recte delevit τε ante σεβίζων, quod facile e prima syllaba sequentis verbi nasci aut ob sequens τε inseri poterat. Desideratur autem jam in Aldina. Proposuit præterea V. D. scribere aut λαοπαθῆ σεβίζων, ἀλίτυπα βάρη, altero quoque τε omisso, quod Reg. c. abest, aut, σεβίζων mutato in σέβων, — λαοπαθῆ σέβων, ἀλίτυτά τε βάρη, quod responsionis gratia præferendum est. Quotcunque vias reliqui ingressi sint, uberius addere, supersedere possumus. Quæritur jam, quo sensu hæc verba sint interpretanda. Hermannus ad Hymn. in Apollinem p. 14. λαοπαθῆ βάρη de cladibus terra acceptis intelligit, scholiasten secutus, qui τὰ ἐν χέρσῳ καὶ θαλάττῃ τοῖς Πέρσαις συμβάντα adnotavit. λαοπαθῆ βάρη sunt proprie calamitates, quas populus λαός patitur, quo nomine apud Homerum sæpissime terrestres copiæ navalibus militibus oppositæ nominantur, ut λ. β. ad clades quoque terra acceptas referre possimus. (cf. Il. 10, 14. αὐτὰρ ὅτ' ἐς νῆάς τε ἴδοι καὶ λαὸν Ἀχαιῶν.) Itaque non opus est Bothei emendatione γαιοπαθῆ, quæ sane levissima mutatione efficitur. Jam negotium nobis erit cum L. et P., qui hanc interpretationem aliam ob causam in dubium vocarunt. „Sed magnopere, inquiunt, veremur, ut de terra hoc loco cogitaverit Aeschylus. Multa quidem terra perpessi sunt Persæ v. 450—80, hæc tamen ipsa ex clade marina oriebantur, ut recte dicatur Atossa v. 683: ναυτικὸς στρατὸς κακωθεὶς πεζὸν ὤλεσε στρατόν. Nusquam videmus senes infortunii, quod terra acciderit Persis, disertis verbis commemorare, immo omnes miserias cladi marinæ adscribere: v. 242—245. 520. 521. 525—30. 534—537. 541—543. 559—561. 634. 635. 840. 883—87. 946. 960. Neque minus nuntius et rex ipse Xerxes omnia mala e mari repetunt, quam ob rem permirum esset, si hic τὰ βάρη τὰ ἐν χέρσῳ τοῖς Πέρσαις συμβάντα recordati essent senes. Porro λαοπαθῆ βάρη nihil aliud valere possunt, nisi calamitates, quas perpessus est populus, eæque non possunt opponi τοῖς ἀλιτύποις βάρεσιν, quoniam calamitates marinæ eædem sunt, quas expertus est populus. Itaque aut erravit scholiastes, aut legit γαιοπαθῆ, id quod reposuit Botheus." De hac re, quæ supra monui, mihi sufficere videntur. Restat ut videamus, num vere omnes miseriæ cladi marinæ

---

*) cf. Movers, die Phönizier p. 246. Mencke, Lydiaca p. 31.

adscriptæ sint a poeta. A versu 459 nuntius narrat optimos nobilissimosque Persas in insulam Psyttaleam transiisse, ut, si quæ Græcorum eo evasuræ essent reliquiæ, illas obtruncarent, hos autem omnes interfectos esse; quam calamitatem v. 427 illa mari accepta multo majorem fuisse contendit. Causam etiam hæc clades præbuit, cur Xerxes terrestres copias pedem referre jusserit v. 461. Ne dicam de fuga terrestris exercitus, in qua plurimi conficiebantur (v. 500), Xerxes ipse v. 914 et 915 Psyttaleam et Salaminem i. e. terrestrem et marinam cladem causas omnium malorum dicit. Sed de his versibus infra plura dicam. Tanta mala perpessi sunt Persæ terra quoque, ut facile quis conjicere posset, per totam fabulam Aeschylum idem tribuisse terrestribus ac marinis cladibus. Optimo igitur jure λαόπαθῆ βάρη ad clades terra acceptas referimus.*)

v. 911—934. Metrum strophæ secundæ admodum dubium esse, jam inde intelligis, quod alius aliud statuit. Hermannus de cycliis anapæstis cogitavit. Passovius duos priores versus antispasticos esse nec ulla mutatione egere contendit. Mihi videntur verba, quæ tradita habemus, ita comparata esse, ut certum metrum statuere non permittant, nisi correcta et emendata.

v. 911. ἀπηύρα referendum est ad præsens ἀπαυράω, non ἀπαύρω; neque, ut Blomfieldio videtur, fruendi, fructum reportandi significationem habet, sicut verbum ἐπαυρέσθαι, sed auferendi, eripiendi. Schol.: ἀφείλετο ἡμᾶς. cf. Buttm. Lexilog. I. p. 76 sqq. Ex antecedentibus facile γένναν suppleri potest.

v. 913. Jonum Mars navibus munitus ἑτεραλκὴς dicitur, i. e. qui non eo, quo exspectatur, victoriam inclinat, sed alios juvat. Dum antea Persæ victores Græcos fugarunt, nunc ipsi contra opinionem superati sunt et terra et mari. Apud Homerum et Herodotum νίκη ἑτεραλκὴς vocatur, ὅταν οἱ νικῶντες νικῶνται. (cf. Schol.)

v. 914. νυχίαν πλάκα κερσάμενος, δυσδαίμονα τ' ἀκτάν, nocturnam planitiem demetens et infelix littus. Hæc verba interpretes varie exposuerunt, sed non omnes recte. Insulam Salaminem nominat Aeschylus in hac fabula sæpius ἀκτὴν Σαλαμῖνος, (cf. v. 265. 925.) ut mihi persuasum sit, hoc quoque loco ἀκτὰν ad Salaminem respicere, cujus littus jure δυσδαίμων nominatur, quum ibi plurimi perirent. Quæritur, quonam verba νυχία πλάξ sint referenda. Schuetzius de maris æquore cogitavit et epitheton νυχίαν ex versu 411 θάλασσα ναυαγίων πλήθουσα καὶ φόνου βροτῶν interpretatus est funestam, infaustam, quum „caliginis imagine sæpe apud nostrum illustretur calamitatis notio.“ Est autem νύχία πλὰξ insula Psyttalea, quo nobilissimos fortissimosque Persas a Xerxe missos, ab Atheniensibus autem (duce Aristide) trucidatos esse nuntius ipse narrat. cf. Herod. l. VIII. 76 et 95. νυχία autem vocatur insula aut eo sensu, quem Schuetzius præbet, funesta, infausta, aut, si magis placet, nocturna, quum noctis tempore eo transiisse Persas constet; hoc sensu Euripides Med. v. 211

*) Rhein. Museum, Jahrg. 5, Heft 2, p. 212.

ἄλα νύχιον nominat propter nocturnam fugam. Blomfieldius non recte suspicatur *βρύχιον* vel *μυχίαν*. Favet nostræ interpretationi scholiastes B, qui per *πλάκα Ψυτταλείαν*, per *ἀκτὰν τὴν Σαλαμῖνα* intellexit. *)

v. 916 *οἶ οἶ οἶ βόα καὶ πάντ' ἐκπεύϑου* vulgo Xerxi tribuitur, a plurimis autem editoribus Choro adscriptus est, ut accuratior exsisteret strophica responsio. Xerxes a v. 903 imperantis munere fungitur, chorus a v. 906 obedientis, et per totam reliquam tragœdiam Xerxem imperantem, chorum contra ad tædium usque obedientem videmus. Itaque exhortatio *βόα* et *ἐκπεύϑου* choro regem alloquenti tributa offendit, dum in Xerxem perbene quadrat. Quod Hermannum v. d. non fugit; explicavit enim *ἐκπεύϑου* passivo sensu „sine ex te quæri.“ Valde miror interpretes fere omnes huic adsensos esse sententiæ. Passivo sensu *ἐκπεύϑεσϑαι* rarissime tantum invenitur, est fere idem ac *ἐκπυνϑάνεσϑαι*, audire ex aliquo, cognoscere, percontari. Scholiastes igitur *ἐκπεύϑου* recte per *ἐρώτα* explicat. Choro tribuendum esse hunc versum mihi quoque persuasum est, sed non toti choro. Pars chori hisce verbis reliquos exhortatur ut præstantissimorum ducum sortem interrogent. Sequentia quoque non a toto choro sed a singulis senibus dicta esse facile mecum consenties. Metrum antistrophici versus *οἶ οἶ οἶ ποῦ δέ σοι Φαρνοῦχος* non ad unguem consentit cum v. 916., quare L. et P. *ὅπου* scripserunt pro *ποῦ*, quo minime opus est. Facillime enim *βόα* monosyllabum legi potest.

A versu 919 recensentur nobilissimorum Persarum nomina, quæ fere omnia in libris varie scripta legimus. Herodotus partim eadem, partim ab Aeschylo plus minusve discrepantia exhibuit. Quem auctorem si sequimur, omnia Persarum nomina littera S terminabantur (l. I. c. 139), ut Aeschylus plura finxisse videatur. Sed illa non finxit, ut, quod Blomfieldio persuasum fuit, Atheniensium aures ludicra quadam scabritie titillaret. Mihi Aeschylus, sive finxerit nomina quædam sive audita usurpaverit, nil aliud assequi voluisse neque potuisse videtur, quam ut Persarum duces interfectos et opes eorum fractas esse suis persuaderet.

v. 934. Pro *ἐπανέρομαι*, quum nullum sit præsens *ἔρομαι*, Wellauerus levissima conjectura *ἐπανερόμαν* restituit. Mihi magis placet conjunctivus *ἐπανέρωμαι*, quem Blomfieldius textui inseruit, sensu: interrogabo.

In tertia stropha et antistropha certum metrum inveniri non posse nisi emendando et corrigendo omnes interpretes consentiunt. Magnam quidem operam navarunt viri docti, sed quamvis diligenter emendarint et correxerint, tamen metra non ita restituerunt ut ad unguem sibi responderent. Wellauerus in versu 945, qui v. 958 respondeat necesse est, quo non erat opus, lacunæ signum posuit, persuasus nomen filii Megabatæ excidisse, quum nimia videretur Alpisti genealogia. Hoc autem loco Aeschylus orientalium morem secutus est, qui in definiendis generibus admodum verbosi erant. Notum est illud Herodoti lib. VII c. 11, *μὴ γὰρ εἴην ἐκ Δαρείου τοῦ Ὑστά-*

---

*) Rhein. Museum Jahrg. 5, Heft 2, p. 212.

σπεως, τοῦ Ἀρσάμεος, τοῦ Ἀρμνεω, τοῦ Τεΐσπεος, τοῦ Κύρου, τοῦ Καμβύσεω, τοῦ Τεΐσπεος, τοῦ Ἀχαιμένεος γεγονὼς, μὴ τιμωρησάμενος Ἀθηναίους. cf. præterea Soph. Oed. R. 267. Ad strophicam responsionem restituendam Passovius vocem Τόλμον v. 960. quam, nisi ab Aeschylo scripta esset, vix in codicibus inveniremus, delevit, Lachmannus contra in v. 947 ἔλιπον ἔλιπον addidit. Quum levissimis conjecturis seu medelis frustra locum restituere conatus sim, vulgatam retinui.

v. 935. ἰὼ ἰὼ μοί μοι, τὰς ὠγυγίους Κατιδόντες στυγνὰς Ἀθάνας, Πάντες ἑνὶ πιτύλῳ, ἐὲ ἐ Τλάμονες ἀσπαίρουσι χέρσῳ. Hæc verba arctius cum v. 923 sqq. cohærere mihi videntur. Supra jam Xerxes responderat choro interroganti duces periisse in littore insulæ Salaminis. Iterum roganti choro imagine petita a remigibus idem affirmat, hunc fere in modum: Adspicientes Athenas illas invisas omnes quasi uno ictu (navibus decidentes) in littus ejecti adhuc palpitant.

Ὠγύγιοι vocantur Athenæ ab Ogyge, rege Atticæ antiquissimo. Thebarum quoque rex fuisse traditur, a quo porta Ogygia nominata est. Omnium in Græcia antiquissimus rex ille fuit, quare quævis antiqua ὠγύγια Græci vocant. Neque ob Ogygem regem Athenas ὠγυγίους vocavit noster, sed eodem sensu, quo Thebas ὠγυγίαν πόλιν i. e. παλαίαν, ἀρχαίαν (Schol.) laudavit. στυγνάς Xerxes nominat urbem, ut scholiastæ videtur, διὰ τὴν ἐν αὐταῖς συμβᾶσαν αὐτῷ συμφοράν. Præ ceteris urbibus Athenas, causam malorum, Persarum reges odisse, ut quacunque ratione evertere illas studerent, Herodotus auctor est. l. 7. c. 1.

Articulum τάς, quem alii omiserunt, retinendum esse censeo non solum ob metrum, quod anapæsticum esse quisque sentiet, sed quia articulus in urbe, quam præ ceteris cognitam habebant Persæ, perbene se habet. Πίτυλος significat proprie vehementem remorum motum, quo ad numerum remiges, signo dato, mare verberant navemque movent. Quemadmodum igitur navis ἑνὶ πιτύλῳ movetur, sic illi omnes quasi uno ictu, germanice: auf einen Schlag, navibus deciderunt et in littus ejecti adhuc palpitant. Præsenti tempore ἀσπαίρουσι ii, qui audiunt, tanquam in rem præsentem ducuntur, simulque indicatur, qua celeritate Xerxes fugerit et vitæ suæ consuluerit. Dum ipse jam Susis erat, illi morientes adhuc in littore jacent.

Ad v. ἀσπαίρειν cf. Eurip. Electr. v. 848 πᾶν δὲ σῶμ' ἄνω κάτω ἤσπαιρεν κ. τ. λ.

v. 940—43. Η καὶ τὸν Περσῶν αὐτοῦ Τὸν σὸν πιστὸν πάντ' ὀφθαλμὸν Μυρία μυρία πεμπαστὰν Βατανώχου παῖδ' Ἄλπιστον κ. λ. τ. Num etiam ibi reliquisti filium Batanochi, qui Persas secundum myriadas numerabat, Alpistum, fidum tuum oculum? Quæ veteres scriptores de usu vocis ὄφθαλμος tradiderunt, Stanlejus h. l. uberrime collegit. Non solum satrapæ regis ὄφθαλμοι nominati esse videntur, sed etiam imperatores, qui in bello regis imperio fungebantur. Præ ceteris Alpistus regis πιστὸς ὄφθαλμος vocari poterat, qui numerum exercitus diligentius exploraret. cf. Herodot. l. VII. c. 60. Genitivus Περσῶν a substantivo πεμπαστής pendet, cui adjunguntur præterea accusativi μυρία μυρία pro κατὰ μυριάδας. πεμπαστής derivatum a πεμπάζειν

proprie quinos numerare, universe numerare, conjungitur cum accusativo, quasi sit participium πεμπάσας. Quod structuræ genus tragicis poetis non inusitatum fuisse patet e Choeph. v. 22, quo χοὰς πρόπομπος idem est ac χοὰς προπέμπουσα. Adjectiva quoque sæpe constructionem participiorum habere Erfurdt. docet ad Trachin. v. 611.

v. 947. In Robort. totus hic versus Xerxi tribuitur, in editionibus tantum verba ὦ ὦ δαΐων. Lachmannus præfixo ἔλιπον ἔλιπον hunc et sequentem versum sicut in antistropha Xerxi tribuit. Chorus autem, cui codices hunc versum adscribunt, si recte sententiarum nexum perspicio, surripiens quasi responsum regis, mortem horum quoque ducum conjiciens Xerxi verbis ὦ ὦ δαΐων κ. τ. λ. infortunium objicit. Quocum optime consentiunt sequentia Xerxi tribuenda.

v. 948. κακὰ πρόκακα Stanlejus „mala malorum præsaga", Schuetzius „mala præsentia" vertunt. Illud πρὸ in πρόκακα sæpe cum aliis vocibus ad vim augendum componitur, exempli gratia προπάλαιος, προθαλής, πρόπας. Sic nostro loco κακὰ πρόκακα sunt mala malis majora, superiora i. e. maxima mala, quæ in Soph. Oed. Col. 1237 κακὰ πρόπαντα vocantur.

v. 949. ἴυγγα — ὑπομιμνήσκεις. Ad vocem Ἴυγξ, desiderium, cf. Suidam. Pro ὑπομιμνήσκεις exspectas verbum notioni desiderii magis aptum, fortasse ὑπεγείρεις vel similia; est autem ἴυγγα ὑπομιμνήσκεις monitu tuo excitas desiderium. cf. Soph. Philoct. v. 1170. πάλιν πάλιν παλαιὸν ἄλγημ' ὑπέμνασας, κ. τ. λ.

v. 955. Blomfieldius pro μυριόνταρχον, quod v. 306 admisit, hoc loco ob metrum μυριάδαρχον scribendum esse censet. Quam vocem recte componi patet ex docta ejus nota: „Hesych. Δεκάδαρχοι. οἱ τῶν δεκάδων ἡγεμόνες. Apud eundem servantur formæ δωδεκάδαρχοι, εἰκάδαρχοι et πεντάδαρχοι. et sic Pollux I. 128. Orbicius vero ap. Etymol. M. p. 728, 50. πεμπάδαρχος, ordines militares recensens, et inter eos μυρίαρχος". Synizesi autem in voce μυριόνταρχον admissa, nil desideratur.

v. 961. ἔταφον ἔταφον, οὐκ ἀμφὶ σκηναῖς
τροχηλάτοισιν ὄπιθεν ἑπόμενοι.

Hi versus magna negotia exhibuerunt viris doctis. In editionibus fere Xerxi tribuuntur. Xerxem autem, quum pernice fuga salutem petiisset, vix dicere potuisse, se amicos suos sepeliisse, recte monet Blomfieldius. Suspicatur itaque v. d. scholiasten, qui ἔταφον per ἀπέθανον explicat, legisse ἔθανον. Valckenarius,*) quem plurimi editores secuti sunt, conjectura levissima emendavit ἔταφεν pro ἐτάφησαν, quod adnotatione scholiastæ ὡς ἀσχημόνως δὲ ἐτάφησαν firmari videtur. Sensus tunc esset: sepulti sunt, non circa currus tentorio tectos pone incedentes. Xerxes igitur choro inquirenti, ubi illi duces sint, respondet: sepulti sunt neque amplius sequuntur ut solebant. Tum sequens versus choro adscribendus est. Tribuitur autem hic versus in omnibus libris Xerxi, et jure. Quadrant enim verba βεβᾶσι γὰρ οἵπερ ἀγρόται

---

*) vide Euripid. Hippol. v. 1247.

στρατοῦ in Xerxem tantum non minus causam afferentem, cur duces illi sequi non potuerint, quam interrogationes chori abrumpentem. Postea enim chorus, quod hucusque fecerat, singulorum ducum fortunam non amplius interrogat. Sin autem Xerxi versus βεβᾶσι γάρ κ. τ. λ. continuatur, choro verba ἔταφεν — ἑπόμενοι adscribenda sunt, quod plurimi editores fecerunt. Ἔταφον retineri posse censuerunt Passovius, cui operiendi et sepeliendi verba intransitivo sensu legi posse persuasum erat, et Hermannus, qui ἔταφον ad præsens θάφω, obstupescere, mirari retulit, vertens: miror, miror, non sunt circa tentorium curule pone sequentes. cf. opp. IV. p. 335. Utraque interpretatio mihi displicet. Cum Valckenario, quod supra jam monui, ἔταφεν scribendum esse censeo et hos duos versus chori senibus tribuendos. At non iisdem, qui, ubinam illi duces sint, interrogant, tum mire sibi repugnarent, sed alteri chori parti, quod jam verba iterata indicant. Dum altera chori pars fortunam ducum interrogat, altera, quum currum Xerxis illos non sequentes vidisset, fortunam eorum conjiciens vociferatur: ἔταφεν ἔταφεν κ. τ. λ.

Valde miror in explicandis verbis οὐκ - ἑπόμενοι interpretes fere omnes scholiasten secutos esse, qui tradit: ἔθος γὰρ ἦν τοῖς Πέρσαις σκηνὰς τῶν ἁμαξῶν ἄνωθεν ποιουμένους ἐπιφέρειν ἐκεῖσε τοὺς νεκροὺς καὶ οὕτως αὐτοὺς προπομπεύοντες ἔθαπτον. De hoc Persarum more nil traditum habemus nisi scholiastæ verba; si unquam mos fuit, tamen nostro loco Aeschylum de cadaveribus in sandapilis curribus vectis (cf. Blomfieldium) neque cogitasse neque cogitare potuisse mihi persuasum est. L. et P. dicunt: „Hoc autem vult Chorus, illorum ducum corpora non curribus vecta exercitum retrocedentem secuta esse, ut in patrio solo sepelirentur; sed in hostili terra esse relicta“. Ut hanc sententiam firmarent, viri dd. ἀμφὶ σκηναῖς a scholiaste recte per ἐν σκηναῖς explicari contenderunt et exemplis ex Homero petitis hunc usum demonstrare conati sunt. Sed ἀμφὶ σκηναῖς nil nisi circa currus valet. Quisnam autem sensus totius loci sit, patet ex Herodoti historia, qui ad hanc fabulam sæpe consulendus videtur. Tradit autem de Xerxe urbe exeunte libr. VII. c. 41. Ἐξήλασε μὲν δὴ οὕτω ἐκ Σαρδίων Ξέρξης· μετεκβαίνεσκε δέ, ὅκως μιν λόγος αἱρέοι, ἐκ τοῦ ἅρματος ἐς ἁρμάμαξαν. αὐτοῦ δὲ ὄπισθεν αἰχμοφόροι Περσέων οἱ ἄριστοί τε καὶ γενναιότατοι χίλιοι, κατὰ νόμον τὰς λόγχας ἔχοντες. Ἁρμάμαξα a simplici ἅρμα distinctum, ut Wesselingii verbis utar, carpentorum genus est mollissimæ vexationis mulieribus quam maribus accommodatius, quod Aeschylus nostro loco verbis τροχηλάτοισιν σκηναῖς indicasse videtur. Sunt enim τροχ. σκηναὶ tentoria curribus vecta, qualia Persæ in itineribus adhibere solebant, more eorum haud dubie omnibus mollitiis instructa. Patet præterea ex hoc Herodoti loco, morem Persarum fuisse, ut nobilissimi sequerentur regis currum. Ex pugna Salaminia rediit rex profugus, talem chori senes adspiciunt, res adversas cognitas habent, neque vident, ut antea, nobilissimos viros regis currum sequentes; quærit itaque altera pars chori, ubi sint, dum altera de morte eorum certior facta exclamat: ἔταφεν κ. τ. λ. Sensus igitur totius loci est: sepulti sunt, sepulti sunt i. e. mortui sunt, neque circa currus ten-

torio tectos pone sequuntur. Quam interpretationem etsi reliquorum interpretum sententiis non superiorem, tamen Aeschylo digniorem duco.

A versu 963 strophæ et antistrophæ majorem personarum varietatem præbent, quam antecedentes. Xerxes deplorat et mortuorum ducum et suam ipsius sortem, dum chori senes interdum iisdem verbis lugent. Sub finem tragœdiæ „lacrimis, planctui, vestium scissionibus, barbæ comarumque vulsionibus“ se committunt.

In quarta stropha et antistropha versus ab editoribus varie distribuuntur. Quas varietates enotare Blomfieldius vix operæ pretium esse contendit, quum personarum notas editores pro suo quisque arbitrio præfixerint. Mihi contra persuasum est characteres, quos vocant, personarum per totam fabulam eosdem esse debere, ut nulla hic facere aut dicere possit, quod contrarium sit ei, quod alibi fecerit aut dixerit. Primum versum strophæ et antistrophæ Xerxi tribuendum esse, supra jam monui, secundum choro deberi ex verbis βεβᾶσι et πεπλήγμεθα repetitis intelligitur. Reliqui versus ab editoribus choro fere continuantur; at Xerxi exclamationes (v. 965 et 971) tribuere malim, quum hic per totam tragœdiam lamentantis potius munere fungatur.

v. 963. In voce ἀγρόται, quam omnes codices præbent, mira varietas in editionibus exstat. Proposuerunt editores ἀκρόται, ἀγρέται et ἀρχέται; e quibus ἀγρέται nititur Hesychii auctoritate (Hes. ἡγεμών, θεός.), ἀρχέται autem apud Euripidem invenitur. Inest his vocabulis omnibus notio ducis; ἀγρότης ab ἀγείρω derivandum videtur, ἀρχέτης ab ἄρχω, ἀκρότης ab ἄκρος.

v. 967. Pro ἔθετ', quod contra metrum est, Schneiderus ἔθεσθ' conjecit, quod omnes fere editores probarunt. Mihi magis placeret ἔθεντ', quum et facilius in ἔθετ' corripi posset et in chorum lugentem magis quadret.

v. 969. Πεπλήγμεθ', οἶαι δι' αἰῶνος τύχαι. Perculsi sumus, quales fortunæ per totum tempus! δι' αἰῶνος significat fere per totum tempus, ut ad certum spatium e. g. vitæ referatur, cf. Choeph. v. 24. δι' αἰῶνος δ' ἰυγμοῖσι βόσκεται κέαρ. et Agam. v. 537. τίς δέ, πλὴν θεῶν ἅπαντ' ἀπήμων τὸν δι' αἰῶνος χρόνον; quocum conferri potest Antig. v. 569 εὐδαίμονες, οἷσι κακῶν ἄγευστος αἰών. Tum sensus esset: quales fortunæ per vitæ tempus i. e. quam ambiguæ sunt in vita fortunæ! Valet autem δι' αἰῶνος etiam post longum tempus, cf. Eumen. 560; tum esset sensus: perculsi sumus, quales fortunæ post longum tempus in nos irruunt! Felicissimi eramus hucusque, sed nunc profligati sumus. Utrumque nostro loco aptum esse videtur, sed tamen prius aptius.

v. 976. πῶς δ' οὔ; στρατὸν μὲν τοσοῦτον τάλας πέπληγμαι. Hæc verba ab editoribus varie distinguuntur. Blomfieldius interrogationis signum post πῶς δ' οὒ delevit et post πέπληγμαι posuit. Vertit autem v. d.: Quis neget, me perculsum esse tanto exercitu i. e. quod attinet ad exercitus jacturam? Quod cum antecedentibus non facile conjungere possis. Wellauerus post πῶς δ' οὒ et πέπληγμαι interrogationis signa posuit, quo verborum sensus obscurus fit. Post πέπληγμαι plene interpungendum est. Chorus in antecedentibus Persarum populum δυσπόλεμον, imbellem, vocaverat,

quod Xerxes verbis πῶς δ' οὔ; affirmat, adjiciens: cum tanto exercitu infelix profligatus sum. Idem denuo affirmat sequenti versu chorus verbis τί δ' οὐκ; Græcam linguam libenter adhibere interrogationem, ubi affirmationem exspectas, satis notum est. cf. Blomfieldium ad h. l.

v, 979. Postquam chorus satis superque intellexit, Persarum vim fractam esse, luctu oppressus singula, quæ Xerxes ostendit, non adspicit, attamen interroganti regi v. 998 ὁρῶ ὁρῶ respondet; quare rex iterum de φαρέτρα cogitans interrogat τήνδε τ' ὀϊστοδέγμονα; cui chorus refert: Quid hoc est, quod servatum dicis? Cui rex: Θησαυρὸν βελέεσσιν, telorum receptaculum. Vides ergo neque τήνδε in τόνδε mutandum, neque post ὀϊστοδέγμονα cum Porsono et aliis signa interruptæ orationis esse ponenda, ut jungantur cum Θησαυρὸν β. Adjectivum ὀϊστοδέγμων substantivi feminini locum tenet, sicut v. 570 ἡ ἀμίαντος et v. 604 ἡ ἀνϑεμουργός. Cum ὀϊστοδέγμων conferri possunt νεκροδέγμων Prometh. v. 159 et πολυδέγμων Hymn. Cerer. v. 17, 34.

v. 983. Verbis ἐσπανίσμεϑ' ἀρωγῶν i. e. defuerunt nobis adjutores Xerxes causam reddit, cur ex bello tam pauca (βαιά) servaverit. Ex sequentibus patet, regem etiam de exercitu fugiente cogitasse. V. σπανίζειν et σπανίζεσϑαι eodem sensu „carere“ sæpius inveniuntur cf. Choeph. v. 717 οὐ σπανίζοντες φίλων. Eurip. Med. v. 880 οἶδα δὲ χϑόνα φεύγοντας ἡμᾶς καὶ σπανίζοντας φίλων. Orest. v. 1054 ὁρᾷς δὲ δὴ φίλων ὡς ἐσπανίσμεϑα κ. τ. λ.

v. 995. Carmen sextum ex jambicis versibus constat, quibus major animi motus indicatur. In primo versu strophæ sede pari anapæstus est, δίαινε δίαινε πῆμα κ. τ. λ., qui jambo in antistropha respondet. Hunc Hermannus synizesi in altero δίαινε admittenda explicavit. Sed minus commodum est priori loco διαι in duas syllabas dividere, altero in unam corripere. Quare Dindorfius suadet apocope adhibita legere δίαιν δίαινε, sicut in Aristoph. equitt. v. 821 Elmslejus παῦ παῦ οὗτος pro vulgata παῦ οὑτοσί restituit, collata Photii glossa p. 403. 4. παυ: τὸ παῦσαι (lege τὸ παῦε) λέγουσι μονοσυλλάβως. Hoc certe vulgi sermoni tribuendum, ab oratione tragicorum poetarum alienissimum est. Melici autem carminis jambi liberiores sunt, ut anapæstum in trimetro melico nemo facile vituperet.

v. 997. Rex chorum lugentem exhortatur, ut ἀντίδουπα, respondentia, clamet i. e. ut suis clamoribus respondeat clamoribus. Quam responsionem chorus δόσιν κακὰν κακῶν κακοῖς, malum donum malorum malis, nominat. Quibus verbis nil aliud intellexit poeta, nisi δόσιν ἣ προστίϑησι (κακῶς) ἄχρηστον κακὰ κακοῖς. Prorsus similia sunt verba in Eurip. Hecub. v. 588, λύπη τις ἄλλη διάδοχος κακῶν κακοῖς i. e. λύπη ἣ διαδέχεται κακὰ κακοῖς. Eadem vocabula vario casu repetita sæpe apud tragicos poetas inveniri, non est, cur exemplis probemus.

v. 1003. Ἐρέσσειν proprie de remorum motu, mox de omni æquabili motu et corporis et animi dicitur. cf. Soph. Antig. v. 159 μῆτιν ἐρέσσειν Ajac. v. 246 τοίας ἐρέσσουσιν ἀπειλὰς δικρατεῖς Ἀτρεῖδαι. Aesch. Supplic. v. 546 Ἰὼ οἴστρῳ ἐρεσσομένα. Sept. v. 855 ἐρέσσετ' ἀμφὶ πόμπιμον χεροῖν πίτυλον κ. τ. λ., quo loco sicut nostro

de plangentium motu dicitur, qui capita et pectora percutiebant. Hanc gemitus planctusque dotem cæsorum ducum manibus debitam sibi ipsi poscit Xerxes v. ἐμὴν χάριν. Schol. τύπτε σεαυτὸν εἰς ἐμὴν χάριν. Eodem sensu v. 1013 μοι legitur, quod scholiastes per δι' ἐμὴν χάριν explicat. cf. ad h. l. Aristoph. Acharn. v. 1232 ἀλλ' ἑψόμεσθα σὴν χάριν τήνελλα καλλίνικον κ. τ. λ.

v. 1011 sqq. chori senes Xerxe jubente lamentationes edunt ἄνια ἄνια ἄνια, quod ex Etymolog. M. σημαίνει τὴν χαλεπωτάτην καὶ δυσίατον λύπην. De voce ἄπριγδα v. 1014, quæ ab interpretibus fere ad ἄπριγδος refertur, vix certi quid afferri potest. Comparatur fere cum ἄπριξ, quod sensu: „firme" cum verbis prehendi aliquoties occurrit. Additur ἄπριγδα, ut mihi videtur, verbis μάλα γόεδνα ad maximum dolorem significandum. cf. Blomfieldium ad h. l. V. 1017 ἀκμῇ χερῶν pro χερσὶν poetis usitatissimum est. cf. Aesch. Eumen. v. 370 καταφέρω ποδὸς ἀκμὰν pro πόδα. Soph. Oed. R. v. 1243 κόμην σπῶσ' ἀμφιδεξίοις ἀκμαῖς pro ἀμφοῖν χεροῖν. In Telepho Aeschylum ἀμφιδεξίοις χερσὶν dixisse testatur Hesychius.

v. 1023. Epodus nostræ fabulæ viris doctis multa facessivit negotia. Est enim ita comparata, ut singula versuum paria eodem metro decurrisse videantur. Alberti v. d. in verbis ἰὼ ἰὼ Περσὶς αἶα δυσβάϋκτος (male pro δύσβατος) repetitis antistrophicæ responsionis vestigia se invenisse opinatus tragœdiæ stropham et antistropham addidit non poetæ verbis sed lacunæ signis.*) Blomfieldius eundem versum, quum male repetitus videretur, uncinis inclusit et choro exclamationes ἰὴ ἰὴ ἰὴ tribuit. Contraxit præterea hos duos versus: Ἠ ἤ ἤ ἤ τρισκάλμοισιν Ἠ ἤ ἤ ἤ βάρισιν ὀλόμενοι in unum: ἰὴ τρισκάλμοις βάρισιν ὀλόμενοι. Idem Lachmannus proposuit, sed, ne longius a vulgata recederet, præbuit versum: ἢ τρισκάλμοις ἢ βάρισιν ὀλόμενοι, quem Wellauerus textui inseruit. Vides hos viros omnes nimis libere librorum lectiones mutasse. Attamen non assecuti sunt, ut singulorum versuum metra sibi responderent quam accuratissime. Mihi sensum potius quam metrum respicienti retinenda esse videtur vulgata.

v. 1026 et 1030. δύσβατος præferendum est lectioni δυσβάϋκτος, quam Blomfieldius revocavit; est enim γαῖα δύσβατος proprie terra incolis gravis ingressu i. e. funesta, ut idem verba valeant ac gravi malo premitur terra (i. e. terræ incolæ). Versus 1030, quem Blomfieldius eliminandum putat, sententiarum nexui aptissimus est. Acerbe hisce verbis chori senes causam lassitudinis, quam rex iis objecerat (ἁβροβάται), afferunt simulque regem infortunii terræ admonent, ut in duobus extremis versibus ἤ ἤ ἤ ἤ τρισκάλμοισιν ἤ ἤ ἤ ἤ βάρισιν ὀλόμενοι hic denuo causam calamitatis Persarum lugeat. Quod, ut magis feriret audientium aures, multis in his duobus versibus exclamationibus effecit poeta.

Jam senes, qui regem in Græciam proficiscentem haud dubie votis ac pæanibus lætissimis prosecuti erant, illum profligatum et copiis nudum acerbis verbis domum dimittunt: πέμψω τοί σε δυσθρόοις γόοις. Hæc hactenus.

*) cf. diss. de Aeschyli choro Supplicum. Berol. 1842.